



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vnica Religione, Stvdio Catholicorvm Principvm, In  
Repyblica Conservanda, Liber vnus**

**Lens, Jean de**

**Coloniae Agrippinae, 1579**

**VD16 L 1181**

Ad perturbandam euertendamq[ue] rempublicam nihil valere magis quàm  
nouae & commentitiae religionis introductionem. Cap. VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30005**



Pax? & vbi pax? Quod est dicere: Quid salutitas, de quo non habes? Quid nominas, quod exterminasti? Pacem igitur exterminat subintroducta noua religio: quam si in familijs esse non finit, nec igitur in Rep. esse patietur.

*Ad perturbandam euertendamq; Rempublicam nihil valere magis, quam noua & commentitia religionis introductionem.*

## CAPVT VI.

**V**Ehementer autem hoc ad ciendas discordias, ideoque ad respublicas perturbandas euertendasq; facit, si vna multis iam seculis religione suscepta, seruata, comprobata, noua quaerpiam subintroducatur, & ea quidem prioris aemula, eidemq; ex professo aduersatrix. Na quae res familiam vnā, eadem, cum in maioribus paulo rebus acciderit, rempublicam etiam ipsam euertere solet: Nihil vero ad familiam perturbandam euertendamque vehementius, quam si praeter legitimam coniugem concubina aduocetur, eaq; pari in honore & libertate autoritateq; habeatur. Neq; enim conuiescere potest maritalis ille zelus, & studio huic vel illi placendi familia distrahitur, colliditurq; disidijs. Quapropter inter antiquas Numae Pompilij leges, reperitur inhibitus concubinis templi Iunonis ingressus: ad significandas offensiones matronarum (quarum esse illa peculiariter dea putabatur) si quando fuissent a maritis parem in honoris locum concubinae receptae. Quis iam nesciat religionem Catholicam Romanam, per tot annorum centurias tam multis ab gen-  
tibus



ribus obseruatam, tot à regibus susceptam atque defensam, tam innumerabilium sanctorum & literis, & confessionibus, & sanguine ipso illustratam, tot miraculis roboratam, toties tam grauiter oppugnatam, & semper tamen inuictam? Hanc igitur quis dubitet veræ legitimæq; coniugis loco solam quasi Reipub. brachijs quibusdam amplexandam esse? Huius proinde si cum offensione grauissima, maximæq; iniuria alia huic repugnans, noua, prius incognita, lasciuia & insolēs, velut concubina suscipiatur & colatur, nihil profectò mirum videri debet. An nō & gentilibus hoc curæ maximopere fuit, ne qua deorum nouorum religio subintroduceretur? Nōne inter primas Romuli leges hæc vna est; Deos peregrinos ne colunto? Numa quoq; ipse, studiosissimus religionis sacrorumq; moderator, constitutis pontificibus cauit, ne quid in illam inueheretur noui. Horum enim pontificum scitis publica priuataq; sacra subiecit, vt esset quò cōsultum plebs veniret, ne quid diuini Iuris, negligendo patrios ritus, peregrinosque asciscendo, turbaretur. Augustus ipse quoque, cum iam solus imperio potiretur, atque de republica instauranda & erigenda cum amicis consultaret, hoc imprimis consilium à Mœcenate celebri senatore accepit, ne qua in re pateretur religionis statum innouari: propterea, quod ea res opportunissimum ad turbas ac tumultus aditum præbere videretur. Dixeris hanc olim Symmachi atq; gentilitatis ipsius veterem fuisse querelam, quod



antiquissima religione deorum improbata, noua prorsus & inaudita sub Christi, eiusdemq; crucifixi nomine, in orbem terrarum inueheretur. Hinc cum Theodosius Senatui religionem Christianam amplecti suaderet, negarunt se facere posse, ut maiorum suorum instituta & tradita, nouitijs Christianorum inuentis postponerent: cum præsertim illorum custodia, urbem incolumem prope mille ducentis annis conseruasset. Nec verò turbæ defuerunt ex ea re natæ, quas Christus ipse prædixerat eiusmodi verbis: Non veni mittere pacem, sed gladium. Præuidebat enim quantum esset confusionis, quantumq; dissidiorum ac bellorum in orbe futurum, cum noua à quibusdam religione suscepta, alij in eodem regno, in eadem ciuitate, in eadem denique familia acerrimè repugnarent, grauissimis aduersus veritatem odijs inflammati. Et certa quidem sunt hæc. Quæ cōsiderata hoc fructus afferunt, ne quam religionē ob id solum damnandam repudiandamq; putemus, quod vulgo prius incognita sit, quodq; ea proposita & suscepta, Reipub. perturbatio consequatur. Ipsa prorsus inspiciatur oportet religio cuiusmodi sit, dignane quæ retineatur, uti est à maioribus longa iam serie populorum tradita, an verò talis, quæ retineri citra impietatis crimen haud possit. Ac gentilem quidem religionem plenam impiæ superstitionis fuisse, non est Christianus qui dubitet: proinde, si potuit exturbari ex orbe terrarum, in quo dominatum obtinuerat (sicuti proculdu-

Matth. 10.



culdubio exturbari diuina virtute potuit) id  
agendum fuit omni ratione: atque in eo exe-  
quendo diuinæ maximè dispositioni paren-  
dum, quantumcunq; ex ea re populi omnes  
nationesq; mouerentur. Vbi tamen dignum  
est animaduersione, beatos apostolos, virosq;  
Apostolicos, qui nouam hanc religionem in  
orbem inferebant, eiusq; vbi poterant funda-  
menta iaciebant, nunquam propterea reipu-  
ordines turbauisse, nunquam de magistratu,  
nunquã de præfectis principibusq; deijci-  
endis cogitauisse: etiam si & diuina virtute in-  
structi maiora possent, & subinde ob discipu-  
lorũ multitudinem facultas humanitus sup-  
peteret. Quin potius obedientiam in ijs quæ  
non essent cum diuina lege pugnantia, & ipsi  
deferabant gentilibus præfectis, & deferendam  
esse studiosissimè commendabant. Nunc Cæ-  
tholicam Romanam religionem contemple-  
mur. Erítne quisquã aut adeò cæcus, aut im-  
pudens, vt hanc non dubitet cum gentiliũ  
impietate comparare? vllámne aliam illi qui  
huic aduersantur, demonstrare poterunt ab  
Hierusalem (sicuti prædictum erat) ad omnes  
sensim terrarũ prouincias & nationes pene-  
trasse? Et quoniam vera ibi religio est, vbi sint  
Ecclesiæ Catholicæ, aliásne vsquam designa-  
bunt Christi Catholicas Ecclesias, quàm eas,  
quæ Petri successori, Romano Pontifici, pa-  
ruerint? In aliáne ecclesia quàm Romana bea-  
ti Martyres suum sanguinem fuderunt? in a-  
lia doctissimi scriptores enituerunt, quorum  
& modo litteris vnà nobiscum fruuntur, si



*Lib. de* non dedignantur? Nónne hæc denique sola  
*Utilitate* ab Apostolica sede, quemadmodũ ait Diuus  
*credendi* Augustinus, per successiones episcoporum,  
*cap. 17.* frustra hæreticis circumlatrantibus, & par-  
 tim plebis ipsius iudicio, partim cõciliorum  
 grauitate, partim etiam miraculorum maie-  
 state damnatis, culmé authoritatis obtinuit?  
 Si non hæc fuit Ecclesia Christi, dicant qui-  
 bus in terris, qui cœtus, qui populi vsque ad  
 hanc ætatem constituerint Ecclesiam, qui pa-  
 stores, qui doctores eam instruxerint, quid  
 scripserint, quæ miracula ediderint. Denique  
 ostendant quænam alia sub Christi nomine,  
 per tam multos annos religio, in orbe terra-  
 rum vna eademque permanens creuerit, flo-  
 ruerit, cuncta occuparit, quàm hæc Catholi-  
 ca Romana. Si aliam non reperiunt, sola hæc  
 igitur vera & Christiana religio est, aut certè  
 vera religione vsque ad hæc tempora caruit  
 mundus & Christus. Rectissimè Diuus Au-  
 gustinus ait, neque in confusione pagano-  
 rum, neque in purgamentis hæreticorum,  
 neque in languore schismaticorum, neque  
 in cæcitate Iudæorum quærendam esse reli-  
 gionem: sed apud eos solos, qui Christiani  
 Catholici vel orthodoxi nominantur, id est,  
 integritatis custodes, rectaq; sectantes. Hæc  
 enim Ecclesia Catholica per totum orbem  
 validè lateq; diffusa, omnibus errantibus v-  
 titur ad profectus suos, & ad eorum corre-  
 ctionem cum euigilare voluerint. Vtitur e-  
 nim gentibus ad materiam operationis suæ;  
 hæreticis, ad probationem doctrinæ suæ:  
 schisma-

*Lib. de*  
*Verare-*  
*ligione*  
*c. 5. & 6.*



schismaticis, ad documētum stabilitatis suæ:  
Iudæis, ad comparationem pulchritudinis  
suæ. Cōtra hanc igitur religionem in sola Ca-  
tholica Ecclesia constitutam, velle nouam ei-  
que repugnantem introducere, potestne cui-  
quam bono & graui constantique Christia-  
no tolerabile videri? Non hic meritò sacerdo-  
tes clerúsque totus, cuius versantur in ea reli-  
gione exercenda præcipuæ functiones: non  
pij reges ac principes, qui sua interesse putāt,  
quānam Deus religiōe suis in regnis colatur:  
non populorum fidelium Christiana simpli-  
citas, qui in hac religione cum spe futuræ sa-  
lutis, suos imitati maiores, acquiescunt: non  
hi (inquam) omnes iure offenderentur ad no-  
uæ cuiuspiā & aduersæ religionis ingressum,  
& eius præsertim, quæ non modò non affe-  
rat meliora, verū etiam euersis iustitiæ fun-  
damentis ad omnem nequitiam portas pate-  
faciat? Socratem, cum esset ab inimicis accusa-  
tus, nulla res magis iudicium mortis subire  
coegit, quàm quod nouam religionem moli-  
ri atque inuehere, receptamque damna-  
re diceretur. Cumque & Xenophon & Pla-  
to causam illius agunt, nulla magis in parte  
totius accusationis, quàm in hac quæ religio-  
nem spectabat, laborarunt. Isocrates quoque  
celebris inter Græcos orator, scribens de in-  
stitutione principis, hunc sedulò ne maio-  
rum religionem & sacra mutet, adhortatur:  
ob eas videlicet rerum humanarum inuersio-  
nes, quæ soleant cum illa esse mutatione con-  
iunctæ. Ergo illi cum essent gentiles, traditæ



fibi religionis, quanquam reuera prophanæ & impiæ, nullóque vel authoritatis, vel rationis subnixæ fundamento, summam semper habuere rationem: & non multo Christiani ferent iniquius, sacris suis insidias strui, nouá que studia suscipi cõtra eã religionem, quam ab ipsius ore Dei sciant esse profectam? cuiusque adeo veritatem exploratam habent, vt si vel angelus Dei descendat de cælo, & aliud quã traditũ sit, annunciet, anathemate debeat abi re percussus? Idcirco laudatissimus ille princeps Theodosius, morte propinquante, filios suos præcipua cura hortatus legitur, vt pietatem perfectam custodirent. Hac enim (inquit) & pax conseruatur, & bella conficiuntur, & hostes dantur in fugam, & trophæa excitantur, & conciliatur victoria.

*Galat. 1.*  
*Theo. lib. 1. cap. 25.*

*Obedientiam qua superioribus in Republica debetur, maximè solus nouæ religionis, præsertim si nunc est eius nouitas, introductione.*

## CAPVT VII.

**E**ST & de obedientia dicendum aliquid, sine qua qui Rempub. consistere posse putat, haud secus facit, atque si ædificium quispian altum sine fundamento, vim vëtorum aut fluminum posse perferre arbitretur. Est enim hoc constituendum in republica primum, vt nec desint qui multitudinem per se inconditam & confusam moderentur, & vt illis fideli minimeque fucata obedientia pareatur. Quàm porrò sit ad obediendum parata noua religio seu heresis, id non ægrè cognoscit, qui norit eius matrem: quæ proculdubio superbia